


Disputatio Medica Inauguralis De Nebularum Effectu Noxio In Corpore Humano

Buetzovii: Typis Johannis Gotthelfi Fritzii, [1763]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880874953>

Druck Freier  Zugang





Universität Bützow

Med. Fak. 1763


Detharding/Roth

Bützow 006









Q. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
NEBULARUM EFFECTU
NOXIO IN CORPORE HUMANO,

QUAM,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
BUETZOVIIENSI,
CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE,
PRAESIDE
DN. GEORG. CHRISTOPH.
DETHARDINGIO,

FACULT. MED. SENIORE ET DECANO, UT ET SERENISS. DUC.
REGNANT. MEGAPOL. CONSILIAR. AULIC.

ANNO O. R. MDCCLXIII. DIE VI. DECEMBR.

PRO GRADU DOCTORIS
RITE, ET MORE MAJORUM OBTINENDO

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

JOH. FRANCISC. WENDELINUS ROTH,

AUG. REG. DAN. MEDICUS CASTRENS.



BUETZOVII

TYPIS JOHANNIS GOTTHELFI FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.

ET ACADEM. TYPOGR.

1163

DISPUTATIO MEDICALI IN PUBLICO
NEBULARUM EFFECTU
NOXIO IN CORPORE HUMANO

IN ACADEMIA ERUDITIONIS
BUTZOVENSIS
CONSENSU GRATIAE FACULTATIS MEDICAE

PRÆSEDE
DNI GEORGE CHRISTOPH
DETHARDINGIO

FACULT. MED. PRÆTORIO ET HONOR. UT ET APOSTOL. SACR.
SACR. SACR. SACR. SACR. SACR. SACR. SACR. SACR. SACR. SACR. SACR.

ANNO O. R. MDCCCLXXXVI DIE VI JUNII
PRO GRADU DOCTORIS
RIT. ET MORE MAJORUM ORNANDO

H. L. G.
FRANCIS WENDELINUS ROTH
Apoth. Pub. Dan. Medicus Curator

RECTOR
H. L. G.
FRANCIS WENDELINUS ROTH
Apoth. Pub. Dan. Medicus Curator



PROOEMIUM.



Vicissitudines aëris atmosphærici, & diversimode mutatas ejus qualitates vegetabilibus & animalibus tantum non omnibus nunc proficuas, nunc perniciosas esse, quotidiana suppeditat experientia. In diffusissimum exspatiarer campum, si quando effe-
a

effectus ab iis oriundos figillatim exponere vellem, id quod historiam naturalem exponentibus committendum. Intra cancellos medicos constituto sufficiat, in genere delibasse, aërem ad objecta itidem pertinere, circa cujus considerationem occupatus debeat esse Medicus, quatenus vel corpus humanum ambit, quatenus inspirando pulmones ingreditur, & quatenus, mediante deglutitione in ventriculum descendit, & abhinc succis corporis nostri se insinuat; quæ est ratio, cur primum locum inter res sic dictas naturales, diætam concernentes, non immerito obtinuerit. Non tantum enim aëris nunc frigida, nunc calida, nunc fieca aut humida conditio tonum partium solidarum diversimode alterat, motum humorum intendit, vel sufflaminat, secretionum & excretionum fata dirigit, imo adfectus animi

mo-

modificat; verum & prouti vix unquam dici potest virgo, i. e. pura, nullisque heterogeneis rebus referta, ita spongiæ instar, quæcunque effluvia e regno minerali, vegetabili, & animali surgentia in se recipit, & abscondit, eoque ipso valetudinem nostram infimul determinat. Laudanda proinde conamina horum, qui tam constitutionem aëris, ejusque adfectiones, ratione certarum regionum, & civitatum diversas, quam specialem, separata individua respicientem, peculiaribus scriptis, vel sparsim delinearunt, quorum catalogum hic recensere velle, superfluum foret. Dissertationem inauguralem conscripturo placuit, vestigia horundem persequi, & quandoquidem in monumentis horum antecessorum,

quæ consulere mihi concessum, non inveni,
tales Nebularum ad certam speciem effluvio-
rum referendarum efficaciam in corpore hu-
mano, dedita opera exposuisse, hocce The-
ma pertractandum in animum induxi. Faxit
summum Numen, quod humillime precor,
ut ex voto succedant conamina!



CA-



CAPUT I.

Historiam Nebularum naturalem tradit.



§. 1.


Nebularum nomine intelligo conge-
riem effluviolorum, maximam partem
aquoform, plus minus particulis
heterogeneis refertorum, in inferio-
ri atmospheræ regione ita coacerva-
torum, ut serenitatem aëris turbent, & conditione
ejus opaca reddita, objectorum conspectui impedimen-
tum inferant.

§. 2.

Vapores nebulam constituentis aquosæ esse indo-
lis, corpora monstrant, quæ ab illis tanguntur, utpo-
te quæ, pro modulo densitatis nebularum madefiunt,

a 3

ita



ita interdum, ac si a pſecade uvida fuerint reddita. Heterogenea effluvia nebulis quandoque eſſe intermixta odor earundem præternaturalis teſtatum facit.

§. 3.

Rite inſtituto nebularum examine adparebit, eas eſſe conflatas ex veſiculis, ſive bullulis aëre repletis, ob elasticitatem ejus adauctam, atmophæra ſpecificè levioribus, ex quo eſt, quod adſcendant, donec ad eam altitudinem pervenerint, quæ ex levitate aëris ambientis majori, ulteriorem earundem elevationem ſuſflaminat.


§. 4.

Experimenta phyſica varia, præſertim cum antlia pneumatica facta docent, aërem aquis intime eſſe inmixtum, ita ut, quamdiu æquilibrium intrinſecum, atque aëris circumfluentis conſervatur, nulla contingat horum elementorum ſeparatio ſenſibilis; Aſt enim vero, quando adcedente calore, vel remiſſa aëris externi preſſione, tale tollitur æquilibrium, illico prærumpit ex elasticitate ſua aër, & ſecum abducit moleculas aqueas, quibus erat incluſus, veſiculasque recentitas eſſormat.

§. 5.

Veſiculæ hæ in aëre volitantes haud ſemper in ſenſus incurrunt, ſed viſui imprimis ſe ſubducunt, quando a calore aëris atmophærici, & ejus motu diſſipantur, & cohæſio harundum particularum arctior auſertur. Sic tempore æſtivo, vel in hypocaustis calefa-

fa-



factis, halitus sub expiratione ex pulmonibus surgentes omnem subterfugiunt visum, qui e contra sub frigore semper observari possunt. Pariter sub tempestate perfrigida, atque æstivo tempore, sole ad occasum vergente, ex pratis, fluminibus & stagnantibus aquis vapores surgentes in oculos incurrunt, qui æstuoso coelo, longe copiosiores, testantibus rerum humidarum exsiccationibus, sed invisibiles existant, necesse est. Quod motus aëris nebulas dissipare valeat, docet piger & manens aër, durantibus nebulis semper observabilis, qui vero vente exoriente, brevi dispergantur.

§. 6.

A proposito alienum esse censeo, nubium, data hac occasione, injicere mentionem, quippe quæ ex nebulis altius surgentibus, & vaporibus aqueis ad sublimiorem aëris atmosphærici regionem elevatis, ibidemque ex frigore magis condensatis, originem capiunt.

§. 7.

Brevibus saltem de rore differuisse juvabit, quatenus cum nebulis ratione originis convenit (§. 5.) hoc saltem observato discrimine, quod non tantum ex aqua, verum & ex poris vegetabilium transfudando elevetur, conf. KRUEGERI *Physic. Cap. XII. §. 544.* eoque ipso peculiaribus qualitatibus sit imbutus, quæ Medicos impulere, ut in usus chemicos, quinimo spagiricos eundem traxerint, & nescio quas prærogativas, ad hyperbolen usque, illi adtribuerint.

§. 8.

§. 8.

De pruina adhuc notandum, hanc in numerum nebularum & roris itidem referendam esse, modo quod vapores aquei congregati frigore intensiore obriuerint, qui ad corpora solidiora allidentes, sibi successive adhærendo, lanuginis quasi formam obtineant.

CAPUT II.

Efficaciam Nebularum in corpore humano exponit.

§. 1.

Nebulæ pleræque, ex particulis aquosis congestæ, paucissimis intermixtis effluuiis heterogeneis, (Cap. I. §. 1. & 2.) haud tantum, nisi fortassis in sensibilibus & delicatulis, adferre valent sanitati præjudicium, imprimis, brevi interjecto temporis intervallo, iterum disparentes, & vel solis radiis, vel ventis spirantibus dissipatæ. At totos dies si continuauerint, & ex confertis vaporibus diaphaneitati aëris supra modum obstiterint, junctâ qualitate ejus frigidiuscula, pro modulo constitutionis individualis, varias suscitare potest ægri tudines, quorsum referendi rheumatismi, tinnitus aurium, coryza, tussis humida, tumores tonsillarum & uvulæ, dirrhoæ serosæ, febres catarrhales, languores artuum, dolores capitis obtusi, leu-
CO-

* * *

cophlegmatia &c. Hypochondriaci pariter, melancholicis cogitationibus obnoxii paroxysmos experiri solent vehementiores.

§. 2.

Actiologia horum adfectuum partim in suppressa transpiratione insensibili, partim in relaxatione toni fibrarum, imprimis membranacearum quærenda erit. Particulæ nebularum humidæ, mediante inspiratione pulmonum vesiculas implendo, egredientibus, halitiosa sub forma, moleculis serosis non tantum resistunt, verum & cumulatam sic humiditatem, tonum fibrarum relaxant, respirationem & anhelitum reddunt difficiliorem, & tussiculosis motibus ansam præbent, quo vi removeantur, quæ mora in pulmonibus diuturniori, vel visciditatem induere, vel mole adacta molestias concitarunt haud levidentes. Eadem prope modum ratione se exerit energia nebularum corpus circumdantium, quatenus ex humido frigida indole transpirationi per poros cutis resistunt, & ut serum intra fibras & poros stagnet, efficiunt, stagnantes humores, spissiores simul redditi inferunt atoniam fibrarum, tumores varii generis, exanthemata frigida, rheumatismos, & febriles motus ad catarrhales referendos. Ex nexu, qui animum & corpus intercedit, ita ut illæsa facultate vitali, rationales atque morales majori vivacitate peragantur, & versa vice, turbata oeconomia animali, mens de serenitate sua admodum remittat, & ingrata pathemata experiatur, derivanda

b

est

est exacerbatio repræsentationum amararum, quam in hypochondriacis, & melancholicis, nebulosa sub aura diutius durante, haud raro deprehendimus.

§. 3.

Non tantum qualitate humido frigida valetudinem corrumpere possunt nebulæ, verum &, quatenus varii generis impuritatibus impregnatæ deprehenduntur; ea namque est vaporum aqueorum natura, ut cum his in aërem simul eleventur partes in aqua solubiles, & sublimationi aptæ. Parili fere modo, quo observamus aquas destillatas, partes sulfureas dictas, & volatiles, adcedente calore solutas secum per alembicum auferre. Odor istiusmodi nebularum ingratus, gravis, putridus, libere spiritum ducendi potestatem imminuens, talem contigisse perniciosam miscelam satis confirmat. Surgentes offendimus deleterias has particulas a copia cadaverum vel inhumatorum, vel terra non sufficienter contactorum, ex aquis paludosis, stagnantibus uliginosis, & putrescentibus rebus referitis, ab inundationibus longe lateque se diffundentibus, quæ & ratio est, cur teste *Prosp. ALPINO, in Libr. de Medicina Ægyptiorum Lib. I. C. XVIII. p. 73.* hæc regio ob restagnantem, per planitiem camporum, Nilum fluvium limosum admodum, peste endemia percellatur. Pariter *JOANN. GEORG. HOJER in Eph. A. N. C. Dec. IX. & X. Obs. 94. p. 174.* meminit Nebulæ singularis, febrem malignam epidemicam concitantis.

§. 4.




§. 4.

Causam translationis hujus pernicipi in corpora humana a putredine derivandam esse facile liquet. Omnis siquidem putredo oritur a resolutione partium mollium & liquidorum, succis & particulis diversæ qualitatis scatentium, per fermentationem intrinsecam destructivam contingente, ita, ut subtiliores volatiles magis redditæ, concessio libero spatio, a compedibus suis liberatæ in auras avolent, spissioribus & vappidis, tanquam ad se elevandum ineptis, relictis. Hæ particulae, aqueis & nebulosis sociatæ, agilitate sua facillimo negotio se insnuant in corpora recipiendis eisdem idonea, & fermenti ad instar, analogum excitat motum intestinum expansivum & destructivum, quo cohæsiō, & nexus tam solidarum, quam fluidarum partium tollitur.

§. 5.

Effluvia ex quibuscunque fere corporibus prodeuntia, si nebulis fuerint sociata, corporibus humanis majus inferre possunt præjudicium, quam si in aëre sicco & sereno detineantur. Particulæ namque a nebulæ substantia humida solutæ majorem obtinent activitatem, eoque ipso coincidunt cum medicamentis commoventibus & alterantibus tantum non omnibus, quippe quæ non, nisi soluta agere possunt.



§. 6.

Non est, ut semper perceptibilem quantitatem harum particularum humoribus nostris se insinuantium admittamus, sed subtilissima, omnemque sensuram effugiens portio effectus tales nocivos exserere valet. Exiguitatem materiae stupendarum virium demonstrant medicamenta, & ex hoc fundamento heroica dicta. Sic e. gr. Vitri antimonii plane insipidi pauca grana, aliquot vini mensuras virtute emetica insigni imbuunt, sine sensibili ponderis, aut virium decremento: Mercurii sublimati corrosivi granum semis phlogisto maritatum, & indies semel exhibitum, paucio temporis intervallo, dyscrasiam venereum cicurare, tot neoterico- rum Medicorum observationibus corroboratum, & cui ignotum, virus pestiferum, nullis sensibus detegendum, adeoque subtilissimum, animantibus communicatum, stragem eorundem excitare undique se diffundentem.

§. 7.

Quod morbos pestilenciales, aliosque maxime contagiosos concernit, absit, ut originem horundem constitutioni aëris atmosphærici, vel nebulosi duntaxat adtribuam, experientia siquidem huic adserto refragatur; Hoc tamen non negandum, qualitates morborum istiusmodi internecinorum admodum a nebulosa aëris conditione exasperari posse. Si BORELLO in *Observat. Medic. Physicis Cent. I. Observ. XXI. p. 30.* fides habenda, anno 1626. quo pestis maxima urbem Castrensem adeo
pe-

populata est, ut 6000. hominum e medio sustulerit, nubes subfusca vespertinis & matutinis horis urbi infederunt, quas hic Author vaporem fuisse credit, a propria urbe solis calore elevatum, sed interdiu a radiis ejusdem iterum dissipatum. Idem propemodum phoenomenon a DAUBIGNEO Franciæ Historiographo *Tom. III. Cap. IV.* fuisse observatum deprehendimus. In Loimographiis pariter legitur, durante summa pestis sevitie aërem fuisse densum, nec a ventis agitatum, sub ortu autem ejusdem vim pestis evidenter remississe.

§. 8.

Nescio sane, an rubiginis, quam nostrates einen Mehl-Thau appellare consueverunt, vel melliginis, nomine cines Honig-Thaus venientis, hic mentio injicienda, originem namque horum meteororum cum Nebulis coincidere videtur, licet Physico-Medicos passim dissentientes deprehendamus. Veteres maligno Canis Syderis influxui rubiginem adtribuerunt, imo peculiarem sibi Deum Rubigum dictum finxere, tanquam hujus vegetabilium pestis authorem, ad quem placandum, Rubiginales festos dies egerunt anniversarios, & lactentem Catulum eidem immolarunt, secundum COLUMELLANUM *de Cultura hortorum C. III. p. 220.*

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

b 2

Sunt,



Sunt, qui rorem nebulæ ad instar albicantis, innume-
ris vermiculis scatentem plantas contaminare, & eo
ipso destructionem harundem conciliare satagunt, vid.
ANTON. LEEWENHOEK in *Continuat. arcan. naturæ
detect. Epist. 101.* it. JOH. CONR. BRUNNERUS in *Eph.
A. N. C. Dec. III. Ann. 2. Obs. 227. &c.* Alii a Rubigine vel
potius melligine poros plantarum transpirationi inter-
vientes obstrui credunt, ex quo in corruptionem abi-
re debeant, conf. BOERNERI *Physic. p. 247.* & TEICH-
MEIERI *Element. Physic. p. 157.*

§. 9.

Sub hisce ambiguitatibus licebit meam qualem-
cunque subjungere sententiam, ab experientia optime
derivandam. Hæc siquidem docet, Rubiginem raro
existere, nisi ætate fervida, imprimis mense Julio, &
Augusto observabili. Sub hac aeris temperie subtilio-
res vegetabilium particulæ ex poros horundem fortius
avolant, relictis viscidioribus & glutinosis. A calore
folis quasi fissa terræ superficies insimul eructat vapo-
res aqueos sulfureo-salinos volatiles, qui solito citius,
ingruente frigidiori aura, magis densati, ex specifica
sua gravitate, sub formâ roris, vel nebularum, inter-
ram, folia arborum, & plantas iterum descendunt, at-
que tam intrando poros harundum apertos, quam su-
perficiem lambendo, cum viscosis & melleagineis re-
sistantibus commixti, fermentationem destructivam
inducunt, ut folia & flores quasi adusti videantur.
Corruptionem tali modo contingentem psecas frigi-
du-

dula, sole calido defluens confirmat, utpote quæ no-
stris ruricolis haud levem injicere solet terrorem, ut e-
idem rubiginis nomine veniat.

§. 10.

Hæc contingens putredo plantarum, ex dulcedi-
ne allicere solet milliades insectorum, calore solis ex
ovulis exclusorum, quæ incautos seduxere, ut cum
rore delapsa crediderint, quale quid a JOH. CHRIST.
MAGNANO observatum, qui in *Lib. de Manna Cap. I. §.*
3. narrat, ob exsudationes fraxini mannam constituen-
tis, cantharides tanta copia confluisse, ut aërem cor-
ruperint, & prætereuntibus odorem objecerint plane
abominabilem. Vermiculi hi fruges confumentes hoc
habent cum omnibus propemodum insectis commune,
ut sale caustico & acri scateant, nec ignis tortura, me-
dicante coctione, penitus domando, quod experientia
chemica, & medica evidentissime demonstrant.

§. 11.

Quæ cum ita sint, haud adeo difficilis erit ætio-
logia morborum, quos rubigo oleribus & fructibus
horæis incumbens inducere potis est. Acrimonia et-
enim ejusdem fermentescens, & putredinosa, quæ sub
dulcedine latitat, præsertim vermiculis vel insectis
obsita, non tantum solidioribus partibus corporis vi-
tium imprimit, id quod sapore nonnunquam detegen-
dum, & quale quid nudis pedibus gramina rubigine
incrustedata conculcantes experiuntur; verum & cum
hu-


humoribus corporis nostri commixta, hos in parilem corruptionem acrem rapere valet. Testis est Dysenteria maligna epidemia, tantum non semper mense Julio & Augusto, quibus rubigo cadere suevit (§. 9.) primum homines adoriens. Hanc non derivandam esse a cerasis vel prunis hoc tempore maturescentibus, vel ex eo liquet, quod haud raro sub ingenti copia horum fructuum morbus hic siluerit, vel sporadice observatus, & vice versa, deficientibus quandoque eisdem, plurimi ab eo fuerint tentati; licet haud negaverim, a fermentescente horum dulcedine malum exasperari posse. Sane, si ab acrimonia sola istius generis fructuum dysenteria ortum caperet, uvæ mense Octobri maturitatem obtinentes eandem producerent, cui tamen experientia refragatur, conf. JUNCKERI *Conspect. Medicinæ theoretico pract. Tab. LXXVII. p. 65.* Respondent prolatis observata Medicorum, quos inter citasse sufficiat SCHULTZIUM, qui in *Eph. A. N. C. Dec. I. A. III. Obs. 88.* Dysenteria meminit ex esu brassicæ capitatæ adhuc novellæ & teneræ, noxio rore infectæ, it. *Act. Med. Berolinens. Dec. II. Vol. VII. p. 103.* ubi refertur Hanoveræ Dysenteriam grassatam esse, cujus originem in brassicæ usu, ex Nebula corruptæ detexerunt Medici. Rubigine sparsim cadente tam fontica haud semper metuenda mala, quorum & dispar conditio, a copia assumptorum olerum roscidorum derivanda; observationes enim studiose institutæ docebunt, vomitus, diarrhæas, tusses acres, febres erraticas mali moris, imo abortus ab eisdem originem traxisse.

§. 12.

Coronidis loco adducendus morbus iste spasmodico-popularis, quem nonnulli die Ziche- und Nerven-Kranckheit, alii die Korn-Staupe, Kriebel-Kranckheit appellitare consueverunt, cujus historiam medicoclinicam ordine, & enodate recensere velle, limites Disputationis hujus transgeretur. Sufficiat indigitasse, palmaria fontici hujus mali symptomata reposita esse in motibus spasmodico convulsivis, nunc totum corpus, nunc has vel illas partes per vices occupantibus, interdum febrilibus insultibus stipatis, & aliquando in gangrænam & sphacelum degenerantibus. Quibus ut plurimum jungitur dolor capitis vertiginosus & gravis, rationem & memoriam labefactans &c.

§. 13.

Plurimi Medicorum morbum hunc ab esu panis clavorum secalinorum farina inquinati derivare solent, à quibus & animalia bruta abhorrent, porci male se habent, abortus patiuntur, imo muscæ enecari possunt, quando in lacte macerati illis apponuntur. Licet & haud desint, qui lolium temulentum, & assumptionem inconvenientium, ad famem depellendam excogitarum, pro fomite hujus mali epidemici venditarint. Prouti vero unius rei plures esse possunt causæ, ita quidem inficias ire nolo, ultima recensita gignendis parilibus molestiis apta esse; his tamen non obstantibus, indubitata docuit experientia, clavos tales nebu-



iosa rubigine generatos morbum hunc genuisse, qui ante aliquot annos totam fere Silesiam, Thuringiam & Franconiam pervasit.

§. 14.

Clavos tales, Germanis Mutter-Korn, dictos formari deprehendimus, quando nebulosa rubigo granis secalinis e spica excussis, sed nondum maturitatem farinaceam adeptis se insinuat, & substantiam horundem adhuc succulentam in fermentationem putredinosam rapit, ex qua cortex, a cumulo pedetentim, loco farinae, pulvere pullo corrupto extenditur, & grana tam in monstruosa cornicula terminantur, & nigricantem faciem induunt, quam acrimoniam corrosivam putridam obtinent, ut labia atque fauces erodant, & digitis contrita, terribilimum, & sensus quasi obnubilantem odorem emittunt. Grana autem magis matura, & ob duritiam corticis, & succi tenuioris defectum, ingressui rubiginis, & fermentationi corruptivæ magis resistunt.

§. 15.

Hæc in sensus incurrens clavorum secalinorum præternaturalis conditio non potest non generi nervoso esse inimica, quando pani, pastillis, & placentis intermixti comeduntur. Certo respectu posset cum deleteria qualitate solanorum fructuum comparari, a quorum esu haud adeo absimilia deprehenduntur symptomata, modo quod virus hoc specificæ sit quodammodo indolis, & cum narcosi causticum quid in se
con-

contineat, eoque ipso irritandis nervis sit magis accommodatum.

§. 10.

Possent plures a Nebulis derivandæ corruptelæ in medium adduci, sed sufficiant hae potiores, quibus adhuc subjugendum, non singula individua indistinctim ab iisdem male se habere, vel eadem experiri symptomata. Quæ differentia vel dispari quantitati, vel qualitati miasmatis hujus nocivi, modo communicationis ejusdem, correctioni antecedaneæ, avtocratia nataræ, heterogenea hæc per convenientia organa sine mora excludentis, vel aliis causis fortuitis adtribuendæ. Prouti enim pestis, alique morbi contagiosi non quoscunque corripere solet homines, sed haud pauci incolumes & salvi manent, licet commercium cum infectis haud evitaverint, ita & cum recensitis effectibus nebulæ comparatum esse videtur.

CAPUT III.

Methodum medendi prophylacticam & therapeuticam subjungit.

§. I.

Quemadmodum nebulæ, harumque species diversimode corpus adficere valent, ita & ratio suggerit, pro modulo hujus invasionis, & qualitatis
c 2 spe-



Specificæ, remedia esse quærenda, quibus mala abhinc metuenda avertuntur, vel, si revera jam exstiterint, radicitus auferri queant.

§. 2.

Solam qualitatem nebulæ humido-frigidæ non nisi inadsuetis, & sensibilibus officere posse, jam C. II. §. I. adductum. His consulendum, ut aërem hunc nociturum evitent, corpus vestimentis probe adoperiant, & mala jam surgentia motu corporis sufficiente, & transpiratione vel spontanea, vel artificiali adaucta domare studeant.

§. 3.

Impuris putrescentibus vaporibus refertæ nebulæ optime arcentur commoratione in conclavibus, corriguntur & dissipantur excitato in caminis aut fornacibus anemiis igne, hunc enim optimum esse halituum malignorum domitorem, jam HIPPOCRATES cognovit, utpote qui olim pestem Atticam incensione silvæ juniperinæ sustulit. Qui eosdem evitare nequeunt, haustulo vini generosi, imo & spiritus vini injurias metuendas declinare valent. Apophlegmatifantia ore masticata, quinimo fumus Tabaci per fistulam haustus catalogum remediorum prophylacticorum augent, quatenus cum saliva infimul moleculæ nebulæ heterogenæ, ne in ventriculum descendant, iterum exspuuntur. Sicubi jam in sanguinem intraverint, excitata abhinc morborum malignitas acidis, bezoardicis, alexipharmacis, diluentibus, aliisque remediis appropri-

✻ ✻ ✻

priatis, decenti methodo administrandis, juncto regimine diætetico debellari debet.

§. 4.

Rubigo fructibus horæis & oleribus insidens, ante horundem esum probe abstergenda, vel, quod præstat, aqua sollicite abstergenda. Si primas vias improvidorum & incautorum intraverit, tempestive dato emetico, vel laxante conveniente eliminanda, & si spatium altius penetrandi concessum, acrimonia ejusdem temperantibus, mucilaginosus, demulcenda & diaphoreticis eliminanda.

§. 5.

Clavi secalini minima copia granis solidis & incorruptis interferti non adeo evidentes in corpore mutationes conciliare possunt, hinc a nostratibus parum curantur. Numero autem plurimi deprehensi, quorum existentia pariter in farina nigella, & pane furvi coloris se prodit, omni cura a granis probe notæ separandi, quandoquidem & destillato exinde spiritui odorem gravem imprimunt, ut ejus potatores abhinc itidem male se habeant; consulendum foret, ut agitationibus mergitum e spicis excutiantur, ex arefactis namque iis facile decidunt, vel cribro subcernantur, vel aqua elaventur. Quodsi ex improvido horum clavorum jam suborta mala supra recensita, vomitorio saburra deleteria e ventriculo expellenda, porro acida diluentibus temperata propinanda, quo cum succis & sanguine



guine jam commixtum inquinamentum corrigatur, & diaphoresi adaucta, ex corporis proscribatur pomoe-riis.

§. 6.


Multiplices, variæque ægritudines a nèbularum viciffitudinibus oriundæ, indoli & symptomatibus accommodandam specialem medendi methodum desiderantes haud complectuntur paginae Disputationi huic destinatae; remittendus proinde L. B. ad Authores pra-xin clinicam exponentes, & laboribus meis qualibus-cunque imponendus

F I N I S.














3



17

§. 12.

in loco adducendus morbus iste spasmus, quem nonnulli die Ziehe- und Nerven-
ii die Korn-Staupe, Kriebel-Krankheit
asueverunt, cujus historiam medico-
ne, & enodate recensere velle, limites
hujus transgeretur. Sufficiat indigitasse,
ci hujus mali symptomata reposita esse
asmodico convulsivis, nunc totum cor-
vel illas partes per vices occupantibus,
ilibus insultibus stipatis, & aliquando
& sphacelum degenerantibus. Quibus
ingitur dolor capitis vertiginosus & gra-
& memoriam labefactans &c.

§. 13.

medicorum morbum hunc ab esu panis cla-
orum farina inquinati derivare solent, a
nalia bruta abhorrent, porci male se ha-
patiuntur, imo muscæ enecari possunt,
te macerati illis apponuntur. Licet &
ui lolium temulentum, & assumptionem
um, ad famem depellendam excogitato-
nite hujus mali epidemici venditarint.
minus rei plures esse possunt causæ, ita
ias ire nolo, ultima recensita gignendis
estis apta esse; his tamen non obstanti-
ta docuit experientia, clavos tales nebu-
lo-

c

lo-